C afferunt etiam olfactu, quanquã mala in alijs terris mandantur, nimio tamẽ odore obmutescunt ignari. Potu quidem largiore etiam moriuntur. Vis somnifica pro uiribus bibentium. Media potio cyathi unius. Bibitur & contra serpentes, & ante sectiones punctionesq́, ne sentiantur. Ob hæc satis est aliquibus somnũ odore quæsisse. Bibitur & pro Elleboro duobus obolis in mulso. Ad strumas radix Mandragoræ ex aqua bibit̃. Articulis prosunt folia cum polenta, uel radix recens tusa cum cucumere syluestri, uel decocta in aqua. Cum cerato apostemata & ulcera tetra, folia Mandragoræ recentia sanant. Radix uulnera cum melle aut oleo.

DE MALIS INSANIS. CAP. CCI.

NOMINA.

VAE mâla insana hodie appellantur, & à Neapolitanis Melanzana, ab alijs amoris poma, à Germanis uerò Melantzan/num ueteribus cognita fuerint affeuerare non ausim. Non latet tamen Hermolaum in Corollario suo in ea esse sententia, ut putet esse tertiã Mandragorę speciem, quam Morion uocant. Quam tamen sententiam cur non probem, facit inprimis Theophrastus, qui lib. vi. de historia stirpium cap. ij. eius fructum esse nigrum, acinosumq́ scribit, qualia mala insana non sunt. Dein quod Morij fructus letalis sit, mala uerò insana minimè, ut paulò pòst dicemus. Mala autem insana dicta sunt, nõ quod letalia sint, sed quod difficulter concoquantur. Amoris autem poma, quod propter elegantiam & pulchritudinem digna sint quæ amentur.

Mâla insana non sunt tertia Mandragoræ species.

Mâla insana cur dicta.

Amoris poma quare uocata.

GENERA.

D Duo sunt malorum insanorum genera. Aliqua enim purpurea ferè tota, aliqua uerò lutea, aut candorem aliquem præ se ferentia. Primi generis poma germanicè braun Melantzan/alterius autem, geel Melantzan uocantur.

FORMA.

Mala insana in frutice nascuntur, qui Personatiam propémodum caulẽ & folijs refert. Differunt autem huius folia à Personatiæ, quod longiora, magisq́ laciniata sint. Flores habet purpureos, speciosos, sex folijs è calatho stellatim radiatis, fructus oblongi mali forma & magnitudine, in quibus semen siliquastro non dissimile. Radicem multis capillatam fibris luteamq́.

LOCVS.

In hortis apud nos seruntur, sed frequenter in fictilibus & pensilibus fenestrarũ hortis. Et eodem cultu quo cucumeres & melones gaudent.

TEMPVS.

Floret Augusto & Septembre mensibus, ac subinde fructum profert.

TEMPERAMENTVM.

In his malis hauddubiè ut in cucumere esculento, aut fungo, frigida & humida temperies superat.

VIRES.

Nullum, quod sciam, in medicina usum habent. Eduntur autem à nonnullis ex oleo, sale & pipere fungorũ modo cocta. Alij ubi paululum inferbuerunt igni, in orbiculos uel taleolas digerunt, & in acetarijs ex oleo, uel pipere & aceto comedunt. Salgamarij in muria acida seruant, cibo per hyemem & uer ori grato, sed tamen qui ægrius concoquatur. Quid multa? delicatorum & omnia degustare uolentium cibus est malum insanum. Quare qui sanitatis studio aliquo tenentur, ij statim nomine ipso territi, usum illorum euitabunt.

DE NYM-

MALA INSANA.